

confirmationem tam privilegii Corbeiensis monasterii, quam abbatiarum Oratorii et S. Geremari, quas Carolus Calvus ad ejus preces ecclesie Bellovacensi dederat. Diploma hujus postremæ confirmationis post Luvetium et Sammarthanos hic habes in appendice (*Vide Patrologiæ tom. CXIX inter epistolas Nicolai papæ*). Illum certe plurimi faciebat summus pontifex; quod probant litteræ ejus ad Hubertum abbatem, fratrem Teutbergæ reginæ; ad Rothadum Suessionensem episcopum, et ad filios Caroli Calvi, in quibus Odonem vocat *sanctissimum fratrem et coepiscopum suum*. Anno 864 iterum missus est Romam a Carolo Calvo rege, ut libertatis Anisolensis monasterii in conventu Vermeriensi assertæ confirmationem a sede apostolica impetraret. Eodem anno adfuit alteri synodo Pistensi, in qua confirmata sunt bona monasterii S. Germani Autissiodorensis; tum biennio post, concilio Suessionensi, in quo Hirmintrudis regina solemniter coronata est. Eodem anno, ex Spicilegii tom. IV, pag. 504, dedit monasterio Centulensi quasdam reliquias tam S. Luciani quam S. Justi martyris. Eodem circiter anno adfuit concilio Vermeriensi. Anno sequenti, cum Hincmarus Rhemensis a Nicolao papa Græcorum capitula adversus Latinos accepisset, ab episcopis Galliæ confutanda, cura hæc in provincia Rhemensi demandata est Odoni Bellovacensi, cui ex Flodoardo lib. III, cap. 23, Hincmarus hac de re scripsit non semel, ac præsertim his verbis: « Quapropter, frater charissime, secundum domini apostolici commendationem, de iis per tramitem Scripturarum et traditionem majorum, quæ illi convenienter rescribere possimus, quærere et in unum colligere stude; ut cum simul, adjuvante Domino, venerimus, quæ quisque nostrum invenit sigillatim, communi studio relegamus, et quæ eidem domino papæ nobis inde scribenda sunt, ordinemus. Data IV Kal. Jan., indict. I. » Illud autem executus est Odo, tam per se quam per Ratramnum Corbeiensem monachum, suasque ad illa objecta responsiones ad Hincmarum misit uno libello contentas, in quo tamen Hincmarus quædam retractanda et corrigenda esse existimavit. Eidem Ratramno præceperat Odo, ut monachi cujusdam insanam opinionem refelleret, qui unam in omnibus hominibus animam esse contendebat; quod et ille præstitit disputatione ipsi Odoni nuncupata. Eodem anno 867 Odo adfuit concilio Trecensi; an. 868 examinationi Wildeberti Catalaunensis episcopi; et ann. 869 consecrationi Bertulfi archiepiscopi Trevirensis. Eo-

dem anno, in concilio Vermeriensi, confirmavit quædam præcepta regia pro cœnobio Carrofensi. Eodem rursus anno astitit Metis coronationi Caroli regis ad regnum Lotharii capessendum; et auctor fuit ut ille villam Luciacum monasterio S. Luciani concederet; cujus rei chartam habes apud Loisellum, pag. 242 et 244. Anno 870 interfuit conventui Aquisgranensi de dividendo inter Ludovicum et Carolum reges Lothariano regno. Anno sequenti adfuit concilio Duziacensi, in quo exactoratus est Hincmarus Laudunensis. Anno 874 ecclesiam Hustiæ, Corbeiensibus obnoxiam, in episcopatu Tornacensi extruxit. Anno 876 adfuit concilio Pontigonensi, in cujus sessione octava dicitur legisse « quædam capitula a legatis apostolicis, et ab Ansegiso, et eodem Odone, sine conscientia synodi dictata, inter se dissona, et nullam utilitatem habentia, verum et ratione et auctoritate carentia; et ideo hic non habentur subjuncta. » Anno 877, Kal. Jul. nominatus est a Carolo Calvo consiliarius filii sui Ludovici Balbi, una cum quibusdam illis seu episcopis, seu abbatibus. Anno sequenti scripsit ad eum Joannes VIII papa epistolam 146 de ordinandis quibusdam S. Dionysii monachis. Huic et Albuino comiti, anno 879, Ludovicus Balbus apud compendium morti proximus coronam, ense cæterumque ornatum regium commisit, ad Ludovicum ejus filium deferenda, præcipiens ut cum in regem sacrari et coronari satagerent. Sed uterque, regis insignibus Theoderico camerario consignatis, statim reditum ad sua maturarunt. Anno 881 ineunte, Odo reliquias S. Vedasti ad Bellovacos asportatas debita cum veneratione suscepit, ac paulo post, v Kal. Febr. vitam cum morte commutavit. Præsul ille multa Ecclesie suæ utilia egit. Inter cætera autem numerum canonicorum suorum ad quinquaginta auxisse, eisque congruentes redditus assignasse dicitur litteris, quas habes apud Luvetium, Loisellum, Sirmondum, Labbeum, atque hic post Sammarthanos recudi curavimus. Sed præterquam quod litterarum illarum vitiosæ sunt, vel subscriptiones episcoporum fere omnes, vel aliæ notæ chronologicæ, quis sibi facile persuadeat, vitam canonicorum communem qua variorum hujus sæculi conciliorum Patribus nil fuit antiquius, tam cito abolevisse in ecclesia Bellovaca? Vide ejus elogium, tom. VIII, Concil. Labb., pag. 1723. Vitam sane mendosissimam S. Luciani scripsisse creditur a nonnullis.

ODONIS SERMO IN SANCTUM LUCIANUM.

Apud Bolland., tom I. Jan., pag. 461.)

CAPUT PRIMUM.

S. Lucianus mittitur in Gallias.

1. Pretiosorum martyrum victorias et gesta, fratres charissimi, enarrare, nihil aliud est, quam laudes Christi dicere, et triumphum virtutis ejus in suis martyribus ad gloriam sui nominis prædicare: quoniam in omnibus ipse victor exstitit, qui ait suis: *Confidite, quia ego vici mundum* (Joan. XVI, 33). Ergo in omnibus benignissimus ipse Jesus vicit, qui pro omnibus solus

* Ita nempe S. Paulus epistolæ ad Colossenses I, 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

D prior pugnavit. Et ideo sancti martyres tanto proximiores sunt Christo præ omnibus honorificati in gloriam, quanto imitatores ejus fuerunt in passione. * Ipsi siquidem suppleverunt quæ deerant passionibus Christi: et ideo iterum jure dicitur in his omnibus Christus passus, quia ipsi membra ejus erant; unde et in ipsis rursus recte victor prædicatur, quia toties per eos vicit, quotiescunque martyr in passione pro Christo victor occubuit. † Oportet

‡ *Ms. S. Max. quædam hic interjicit de imitandis, qui laudantur martyribus.*

itaque nos laudare viros gloriosos, quorum doctrinis longe lateque per orbem gloriosa Christi refulget Ecclesia, et ipsi sub ara Dei, amictis stolis candidis, cruore proprio purpurati, et in Christi sanguine dealbati, feliciter requiescunt.

2. De quorum collegio exstitit beatissimus Lucianus insignis et gloriosus martyr: ^a quem ipso fontis lavacro, ^b divina perfudit gratia, ita ut ex eventu rei daretur indicium, quod magnus futurus esset pro merito sanctitatis in populo. Lucius enim a progenitoribus secundum carnem est vocatus, ^c a magno consule Lucio trahens non solum carnis originem, verum etiam et vocabulum. Sed demum per gratiam sancti Spiritus, more sanctorum Patrum, in melius commutatum est nomen ejus; ut qui erat parentibus dictus Lucius, diceretur Deo postea per gratiam aucto nomine Lucianus: quatenus ex hoc patesceret indicium, quia in nova luce progenitus ipse lux factus in Domino, tandem eandem lucem, qua renatus erat in Christo, una cum cæteris sanctis viris prædicare primum deberet in gentibus. Claret igitur Romanum eum fuisse genere, nobili ex prosapia: sed nobilior factus est in spiritu, quia per adoptionem gratiæ inventus est æterni Regis filius. Quod si quæritur ab eo, cujus institutus sit doctrina, et eruditus magisterio, vere Petri apostoli discipulus fuit, et in ejus fundatus fide, atque cælestibus imbutus disciplinis: quod satis series gestorum, tempus, et ordo loquuntur. ^d Conversatus est autem jam renatus in Christo perfectus tiro Christi Romæ positus, ac si in castris militaribus; ut quandoque egressurus ad gentes strenuus haberetur bellator, et propugnator in fide fortissimus.

3. Cum autem enutritur doctrina Dei in virum perfectum, factum est ut inclytus martyr Dionysius Christo duce Romam deveniret: ^e ubi post excessum apostolorum jam B. Clementem pontificem apostolicæ sedis apicem gubernantem invenit. A quo idem S. Dionysius, qui et Macarius, officiosissime est susceptus, et digno honore satis venerabiliter habitus, tam pro suæ sanctitatis merito, quam et propriæ vitæ longa jam diu familiaritate in Christo, unde et apud eundem summum pontificem non parvo temporis spatio conversatus est, ut se mutuis recrearent aspectibus, et divinis se refoverent colloquiis, atque suis se vicissim corroborarent virtutum exemplis. Cui inter quamplura Scripturarum san-

^a Addit Ms. S. Max. qui olim a pueritia sacro baptismo a Domino est consecratus, et cælestibus disciplinis plenissime eruditus. Lovetus lib. II, cap. II, ait a S. Petro Romæ conversum. Renatus Benedictus, ex Oriente cum S. Petro Romam venisse.

^b Addit. Ms. S. Max. sicut ipse suis declarat responsis.

^c Lovetus diserte filium Lucii Consulis vocat. Multi prænomine Lucii consules fuere S. Petri apostoli ætate, uti etiam sequentibus sæculis.

^d Græce et Latine doctissimum fuisse scribit Lovetus, et Ms. S. Max. in quo et de ejus constantia zeloque et aliis virtutibus nonnulla subduntur. Saussajus ait, post Petri mortem diversa Italiæ loca per-

starum colloquia B. Clemens divino afflatus spiritu ait: Videsne, mi frater charissime Dionysi, quanta est messis in gentibus Dominicæ sationis, et quam pauci sunt operarii in verbo divinæ prædicationis? Quia ergo de omnibus Catholicæ fidei sufficienter es eruditus doctrinis, et omni religione Christiana imbutus, atque virtutibus corroboratus; perge, rogo, in nomine Domini Jesu Christi ad occiduas partes, ut bonus miles, et præliare contra hostes inhumanissimos prælia Domini Dei tui.

4. Quibus ita edictis, cum jam ad hoc beatissimus Dionysius assensum præbisset proficiscendi, cœpit S. Clemens socios ei quærere et adjuutores strenuos in verbo, necnon in vita et sanctitate idoneos, ministros quoque divini officii præcipuos et quamplures: inter quos etiam elegit idem pontifex in sanctitate hunc probatissimum virum Lucianum consortem, quem et ^f ordinavit episcopum, quia fuerat sub doctrina Petri apostoli ad fidem penitus institutus, ut non deessent singula Ecclesiasticæ disciplinæ officia inter tam probatissimos viros. Quem ideo, quia antiquior Christi et Petri fuerat discipulus, ita consociavit S. Dionysio ut ejus esset interpres, et cæteris quasi Pater venerabilis et egregius magister in doctrina et religione sanctitatis. Quibus ita dispositis inter quamplurima doctrinæ Christi instituta et monita pietatis ad ultimum eos ita alloquitur, dicens: Ite, charissimi, et fortissimi ac strenui bellatores Christi: et sicut fuit Dominus cum sanctis Patribus nostris apostolis, et cum eorum cooperantibus; ita sit vobiscum in omnibus operibus verbi divini. Vos enim, inquit, maximam et innumerabilem plebem Domino acquisituri estis ex gentibus, et introducturi in terram repromissionis. Sicque post multa singulis contradita et omnibus simul reserata fidei Sacramenta, dans pacem omnibus, ita eos absolvit, et jussit sanctam illam fraternitatem in pace abire.

CAPUT II.

In Italia prædicat, venit Arelatem.

5. Qui simul pergentes ac prædicantes primum per omnem Italiam verbum Dei, antequam Ticinum appropinquassent, ^g quodam in loco non multum longe a civitate, quæ dicitur Parma, in via visum est beatissimo Luciano, ut evangelizaret populo eodem in locum verbum Dei; et revocaret eos a vana

lustrasse, ac late verbi divini sementem dispersisse.

^e Lovetus scribit Dionysium Romam venisse, ut Petrum et Paulum captivos viseret; sed cum appulit, reperisse, illis interfectis, Clementem jam pontificem creatum; cum a Petri cæde ad Clementis electionem plures fluxerint anni, pontificatum gerentibus Lino et Cleto, ut de hoc dicemus 26 April. de illo 23 Septembr. ac de Clemente agemus 23 Novembr.

^f Alii a S. Dionysio; Martyrologia Silvanectensia, teste Loveto, a S. Regulo episcopum consecratum tradunt.

^g Fidentia Julis, ut mox patebit, inter Parmam et Placentiam.

superstitione et cultura idolorum, propter illud quod canitur in psalmo : *euntes ibant et flebant mittentes semina sua* ; et quæ acceperat ac si fidelis dispenseret in populo. Sed homines loci illius cum essent adhuc gentiles, et nimium idolorum cultibus implicati, injurias deorum suorum non ferentes, neque sibi verbum evangelizari divinum, mox apprehendunt sanctissimum Lucianum, et contumeliis affectum possuerunt eum in custodia publica, quæ adhuc hodie monstratur omnibus eo in loco transeuntibus. In qua cum ingrederetur, magno psallebat cum gaudio, ita dicens : Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua ; atque illud : Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

6. Sicque vir sanctus in hac se agebat custodia, quasi sub umbra alarum Dei, et totus in spe protectionis Christi positus orabat Dominum, ita dicens : Educ, Domine, de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo ; quoniam me expectant justi : ut per me, Christe salvator mundi, ad te justificentur ex gentibus, qui prædestinati sunt ad vitam. Cum talia et hujusmodi beatus et sanctus corde Domino decantaret, mox petitio ejus penetravit cælos, ne sine suis remaneret in via, qui cum eis optabat ire ad passionem, et pervenire ad quos missus fuerat. Non itaque præclarus athleta Christi refugiebat pro Christo vitæ dispendium percipere, sed rogabat devotus ut prius faceret fructum sibi a Domino repromissum, et tum demum cum multo fœnore messis perveniret una cum sociis suis ad palmam martyrii, et ad vitæ præmium. Cui itaque mox ad fuit divina virtus in adiutorium. * Erant ibidem jam quidam Christiani, quos tetigit divina virtus : scientes quod factum fuerat in sancto viro, venerunt nocte ad eum in carcerem, et arte qua poterunt pro Christi amore absolverunt eum de erga-

* Ms. S. Max. et Lovetus ex alio Ms *Erat enim ibidem jam Christi discipulus, Dominus nomine, qui perfectus adhuc hodie confessor Christi in eodem loco, pro talibus hujusmodi operibus requiescit in corpore gloriosus. Nam et ipse locus ex ejus nomine vocabulum sumpsit, etc.*, narrat ab eo eductum nocte Lucianum e carcere, in quem ipse idcirco postridie ad accolis conjectus sit. Eadem refert Saussajus, nisi quod Parmæ velit ista cotigisse. Verum hæc si ab Odone scripta fuere, non miror in aliis exemplaribus esse omissa. Nam sive S. Clementis ætate, sive Decii temporibus venit in Galliam *Lucianus*, non potuit eum S. *Dominus* capitis sui periculo liberare, qui, ut 9 Octobris dicemus, annis post Decium quadraginta Maximiani cubicularius erat, ibique pro Christi fide interfectus, loco deinceps nomen fecit, qui jam *Burgum S. Domnini* dicitur.

^b Non nisi Gothorum temporibus regia urbs fuit *Ticinum*, sive *Papia*.

^c Hunc omittit Lovetus, nec satis mihi constat quis fuerit, nisi forte S. Eugenius Marcellus primus Toletanus episcopus, qui S. Dionysii discipulus fuisse traditur, coliturque 15 Novembr.

^d Ast Martyrologium Romanum, Ado, aliique *Decii temporibus Tolosæ* occisum tradunt, et consentiunt Acta quæ 29 Novembr. dabimus ; refragante

A stulo, atque una cum sanctis suis commilitonibus liberum abire fecerunt.

7. At vero illa sancta societas prosperis successibus hinc inde Ticinum veniunt ^b ad regiam Italiæ civitatem. Ibi siquidem paululum requiescentes, non cessabant a laudibus divinis, neque deficiebant ubi vel ubi prædicare verbum Dei, ita ut cerneret eorum prophetiam, *quia speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (Rom. x, 15). Huc illucque discurrentes confidenter agebant, confisi ex Dei auxilio. Ibant igitur gaudentes memores eorum quæ in Actis leguntur apostolorum, quoniam et ipsi jam participes erant facti passionum Christi, et digni habiti pro ejus nomine contumelias pati (Act. v, 41). Qui simul pergentes, nullus est qui edicere queat quot millia hominum conversi sint in tempore ad Christum : et prædicabant evangelizantes omnibus verbum salutis. Comitabatur autem eos virtus divina, ita ut cernentes eos ac si cæli cives, et agnos inter lupos, signis et virtutibus coruscare, portantes et illuminantes Dei electorum animas.

8. Sicque tandem exeuntes ab Italia, ingressi cursu prospero mare flantibus ventis, navigio pervenerunt ubi eos Spiritus sanctus recto perduxit itinere, et portui appulerunt Arelatensium civitatis alacriter cum gaudio. Qui exeuntes de navi, hospitio recepti sunt ab incolis ejusdem civitatis, qui eis non modicam præstabant humanitatem. Ubi cum essent pariter aggregati, more sanctorum apostolorum cæperunt ibidem simul conquirere, singuli quas partes in prædicationem eligerent, quive pariter juncti ire deberent. Sicque factum est ut ^e Marcellinum sanctissimum cum paucis, ut fertur, ad Hispanias mitterent ; ^d Saturninum vero Tolosam dirigunt, ^e ac si ad Aquitaniæ caput, ut longe lateque æterni regni Evangelium propagarent in gentibus, et plantarent Ecclesias Christi passim usque ad Oceanum Britannicum ^f.

Ecclesiæ Tolosanæ traditione, ut patet ex Guilielmo Catellio l. 5 Historiæ Occitanæ.

^e Non est Aquitaniæ civitatis Tolosa, sed Gallie Narbonensis. Ileo autem vocat auctor Aquitaniæ caput, quia Aquitaniæ reges Aripertus Dagoberti frater, et Ludovicus Pius, sedem regiam Tolosæ fixere. Plura de his Catellius.

^f Lovetus plures enumerat eorum socios, variis populis datos Evangelii præcones, S. *Regulum Arelatensibus*, 30 Martii fastis sacris adscriptum ; *Ursinum Biturigibus*, qui Nathanaelem fuisse volunt, 9 Novembris, et 29 Decembr. *Clementem Metensibus*, 23 Novembris ; *Crescentem Viennensibus* 27 Junii, quamquam tradant hunc ante Clementis pontificatum martyrio coronatum ; *Andochium Aëduis* 24 Septembris, quem tamen Martyrologium Romanum et alii tradunt a S. Polycarpo missum in Galliam ; *Benignum Lingonibus* 1 Novembris, sed et hic Polycarpi discipulus dicitur fuisse ; *Austremonium Arvernus* 1 Novembr. repugnat Savaro, et ipse Arvernus, omninoque contendit non nisi Decio et Grato cois. venisse isthuc Austremonium ; *Frontonem Petragoricis* 25 Octobris, vita habet a S. Petro missum in Gallias ; *Eutropium Santonibus* 30 Aprilis ; *Mellonum Rotomagensibus* 22 Octobris. Ast hic a Stephano papa tempore Aureliani episcopus creatus dicitur (rectius

CAPUT III.

Bellovacii prædicat ; SS. Maximianus et Julianus martyrio coronantur.

9. Quibus ita dispositis B. Dionysius, qui et alio nomine Macarius pro nimia sanctitatis religione est vocatus, qui et honorem apostolatus tradente B. Clemente susceperat, et privilegium prædicandi in gentibus, secum adhuc sacratissimum Lucianum retinuisse noscitur : donec Lutetiam a Parisiorum oppidum perveniret. Unde paucis secum retentis S. Lucianum, quem sibi nobilitas fidei sociaverat, fidesque Christi germanum fecerat, probitas vero mox et instantia conjunxerat, cum a S. Maxiano presbytero et Juliano diacono, evangelizandi gratia Belvacus misit : quo custodia Romanorum et militaris exercitus, ut legimus, residebat, quoniam gens Belvacensium semper bellicosa fuisse narratur. Unde solummodo, sicut in historiis continetur publicis, ex eodem pago a sexaginta et eo amplius armatorum millia exisse leguntur obviam ad prælium contra Julium Cæsarem, et contra Romanorum exercitum una cum reliquis Galliarum concivibus. Et ideo propter ^d custodiam cæterarum civitatum Romanus tunc temporis versabatur exercitus.

10. Contra quam feritatem utrarumque gentium fortissimus athleta Christi, solatio fretus discipulorum, non est perterritus venire Christi præinctus armis, ac divina gratia corroboratus. * Erat enim fide constantissimus, sermone facundissimus, et virtutibus cunctis admirabilis. Cœpit igitur prædicare nomen Domini, potestates aërias debellare, Christi- que Ecclesiam plantare. Spiritus quoque sancti gratia debriatus, non minus exemplis instruebat populum, quam verbis. Accedebat namque virtus miraculorum, et omnes morbos per virtutem Domini depellebat. Tantam enim gratiam in effugandis acceperat dæmonibus, ut imperio ejus audito, mox a cum aliis auctoribus *Nicasium* scriberet Lovetus, de quo 11 Octobris) : *Taurinum* Ebroicensibus 14 Augusti ; *Valerium* Treviris 29 Januar. : sed hunc a S. Petro ad se missum Treviri aiunt ; *Mansuetum* Leucis 3 Septembr. : sed hunc quoque a S. Petro missum Adso Abbas in ejus Vita scribit ; Carnutibus *Carannum* 28 Maii.

* Ms. S. Max. addit isthic mansisse Dionysium, quod ibi *amplius fervere immanitatem erroris cognovit.*

^b Ms. S. Max. et Lovetus habent, eos a S. Luciano fuisse conversos, eique adhæsisse : hic gente Bellovacos facit.

^c Cæsar l. II, de bello Gallico scribit centum millia eos conficere posse, atque in Belgarum concilio contra Romanos 60000 pollicitos.

^d Addit Ms. S. Max. et Lovetus, *propter insolentiam eorum, seu propter custodias cæterarum, etc.*

* Hic plurima interjiciuntur in Ms. S. Maximini, de ejus virtutibus, miraculis, plurimisque ab eo et *Maximiano* ac *Juliano* conversis, in urbe, vicis, ac villis ; atque hæc inter alia, quæ ex quopiam alio Ms. recitat quoque Lovetus : • In quibus profecto laboribus interdum, etsi fessus videbatur senio, vigore mentis, et virtute Spiritus sancti confortabatur, ut posset dicere cum apostolo : Fortis sum et omnia possum in eo qui me confortat. Ad hoc quippe

A corporibus decederent obsessis. Et diebus ac noctibus prædicando non cessans perseverabat astruere verum et unum Dominum. Semper enim erat occupatus in oratione et officio divino, in vigiliis plurimis, et jejuniis quotidianis, in abstinentia ciborum, et in omni afflictione carnis, qua se quotidie macebat, quatenus juxta Apostolum se hostiam vivam, beneplacentem, Christo Domino exhiberet (*Rom. XII, 1*). Unde assiduus ei victus nullus alius erat, nisi modicus panis, esusque herbarum, et aqua frigida potus. Sustentabat autem eum virtus divina, ac membra debilia Christi gratia roborabat : sic quippe anhelabat beatus pervenire ad palmam martyrii, ut jam mundo mortuus crucem portaret quotidie post Christum Dominum : quia pro certo noverat duo esse martyrii genera, unum siquidem in occulto, aliud vero in manifesto, et idem primum istud ferebat in abscondito (quanquam manifesta esset omnibus virtus abstinentiæ), ut ad illud perveniret post modum a Domino coronandus. Era enim mortificatione carnis confectus, patientia decorus, mira humilitate fundatus, mansuetudine repletus. Unde tanta circa eum excreverat virtus bonorum operum, ut in terris adhuc in corpore positus, cum angelis jam spiritu videretur conversari in cælis. Hinc erat quod semper vultu placidus videbatur, et mente tranquillus, mira canitie decoratus, ut totus moribus et corpore probaretur conspicuus atque præclarus.

11. Sed cum ejus fama longe lateque percrebuisset, veniebant ad eum plurimi ut ab eo baptizarentur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Destruantur idola, a quibus fuerant fabricata. Unde hostis antiquus videns sibi deperire quos Christus per suos acquirebat famulos, tota artificii sui machinamenta ad impugnandam sanctam Dei Ecclesiam convertit : et Domitianum, qui post Neronem perditionis filium secundam persecutionem in Christianos exercuit, ita inflammavit, et ad tantam rabiem indignationis commhi sancti viri tam contiguas atque affines in prædicatione Evangelii sibi elegerant partes, quo possent de proximo divinis quam sæpe consolari eloquiis, mutisque se repræsentare aspectibus. Ideo quibus erat cor unum, et anima una, unaque charitas divini amoris, quia simul esse non poterant propter commissa sibi prædicationis officia, lucraque animarum ; neque longe diu ferebant, ut se vicissim sacris recrearent alloquiis. Unde adhuc hodie monumenta monstratur B. Dionysii, publica, quæ ejus ex nomine vocatur, via, per quam, ut fertur, venire consueverat summus pontifex, ut has sua præsentia illustraret partes, sanctumque senem et beatissimum Lucianum suo refoveret aspectu, et pariter quantisper decertantes curabant verbo feritatem gentilium ad veri Dei dirigere servitutem.

^c Constans Bellovacii traditio est, ædes in quibus olim divina officia celebrare consueverat, consecratas deinde in ecclesiam ejus primum, deinceps S. *Nicolai* nomini sacram : inque ejus rei memoriam illius festo die Missa fit supra primum magni altaris fornacem.

* Cœpta erat Domitiani persecutio priusquam in Gallias veniret Lucianus, si Clemente pontifice venit : sed fortassis edicta nondum in omnes perlata erant provincias.

movit, ut ubicunque in universo Orbe romano Christiani invenirentur, cogeret aut diis sacrificare, aut diversis cruciatibus affectos crudeliter interfici. Ex quo per totum sibi subjectum orbem in cunctis civitatibus, oppidis, municipiis quoque et vicis publicum pependit edictum, ut omnes ministri Reipublicæ Christianos idola colere compellerent, et sacrificare diis, aut diversis pœnis perimerent.

12. Diriguntur proinde huc illucque persecutores Christiani nominis; inter quos ^a Fescenninus Sisinnius ad Gallias una cum reliquis apparitoribus ocuis venire jubetur, ad perquirendos Christi milites, maxime eos qui Roma dudum exierant, quorum fama jam excreverat, quatenus nomen Christianorum a Galliis pellerent. Tunc siquidem missi sunt tres atrocissimi viri, ^b Latinus scilicet, ^c Jarius, et ^d Antor, specialiter ad perquirendum sanctum Dei famulum Lucianum cum suis exsecutoribus; ut ubicunque eum reperissent, aut præsidis eum audientiae præsentarent, aut gladio mox feriretur, si nollet idolis immolare. Cumque civitates et loca præfati viri perlustrassent, nequaquam continuo repererunt. Interea pervenit ad eos fama viri Dei, quod prædicando æterni regni Evangelium Belvacensium plebem occupasset. Quo audito, magis magisque ira et indignatione succensi, illuc cursu celerrimo properarunt.

13. Ad quam paulo antequam pervenissent, sentiens eos beatus martyr, revelante sibi Spiritu sancto, in proximo esse, perstitit in loco quo docebat populum verba vitæ, et cum eo multitudo maxima, quæ jam erat per prædicationem beatissimi viri Dei ad fidem Christi conversa. Exhortabatur autem eos tanto attentius, quanto securior de gloria æternæ retributionis, dicens: Ecce, fratres et filii charissimi, jam mihi Dominus meus Jesus Christus laborum meorum fructus et præmia olim repromissa donare dignabitur. Unde, dilectissimi, perseverate fortes in fide Christi: quoniam ego jam nimia senectute lassatus, cum palma martyrii gaudens ad Christum ire festino. Vos autem in accepta gratia stabiles perdurate. Non vos terror Principum a fide Christi subvertat, non minæ deterreant, non suasio blandimentorum decipiat, non ulla promissorum facultas revocet; ut ibi vos æterna gaudia recipiant, ubi sunt

^a Sub hoc martyrium subiisse S. *Dionysius* traditur. Lovetus scribit Sisinnium intellecta Domitiani morte in Urbem rediisse; Julianum vero præsidem quemdam sævire in Christianos perrexisse, atque ab hujus satellitibus occisum esse S. *Lucianum*. Renatus Benedictus negat jurisdictioni ejus subjectos fuisse Bellovacos, misisse tamen eo milites ad hanc cædem perpetranda. De tempore cædis S. Dionysii alibi: Baronius sub Trajano, alii sub Hadriano eam volunt contigisse.

^b Alii *Jachinus*, Vinc. *Jacinus*, Petr. de Natal. *Latinus*.

^c Ms. S. Max. *Januarius*, Petr. *Larius*.

^d Vinc. et Petr. *Antrus*, Belfort. *Andrus*, Momb. *Adtius*, Lovet. *Anterus*, Ms. S. Max. *Auctor*.

^e Papius Massonus de fluminibus Galliæ: « In Bellovacis Picardiæ populis, qui late patent, Tharam majorem, et Therinam minorem amnes omittere non

A ineffabilia vobis præmia præparata; ad quæ ire intrepidus festino, et ideo sævitiam persecutorum non pertimesco. His ita dictis, elevatis oculis in cælum, gratias egit Deo coram omnibus, qui eum dignatus est computare cum sanctis martyribus, et a suis sanctis sociis non dividere. Gratias, inquit, tibi ago, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui me cum B. Dionysio ejusque sociis in fine consociasti, et laboribus coæquasti. Unde peto ut me digneris in eorum numero computare, et regni tui consortem fieri.

14. Quibus ita peroratis, egressus ab urbe Belvaco juxta Domini præceptum paululum secessit a civitate, non timore supplicii, sed ut juxta Domini præceptum (*Matth. x, 23*) exemplum præberet gregi. Sicque iter faciens cum beatis martyribus, Maximiano scilicet et Juliano, non cessabat a colloquiis divinis et orationibus per omnem viam, donec perveniret ad montis cacumen, quo tendebat, ^e qui mons sicut est secus amnem Tharæ ab urbe ferme tribus distans millibus. Ubi cum venisset, quasi civitas supra montem posita latere non poterat, quoniam et ipse mons pulchrum super fluvium populi præbet prospectum. Ibi itaque quasi in specula positus ipse vir beatissimus suam exspectare decrevit martyrii coronam.

15. Interim milites præfati celeri volatu perveniunt ad civitatem Belvacum: ubi cum sanctum Dei Lucianum requisissent, non inventientes, diligentius perscrutari cœperunt quo abisset. Quibus dictum est, quod non longe ab urbe populum doceret. Illi vero continuo reascensis equis subito pennigero equitatu adierunt montem, ubi vir Dei cum populo et suis morabatur discipulis. ^f Quo pervenientes ante ullam interrogationem judiciariæ potestatis comprehenderunt sanctos Dei, Maximianum scilicet atque Julianum. Forte ut eorum pœnis sanctum semen deterrerent, et revocarent ad culturam deorum. Quibus comprehensis, præcipiunt eum auctoritate regia cum omni furore, idolis immolare: Alioquin inquit, nisi sacrificaveritis diis immortalibus, gladio vox mox puniri jubemus. Illi autem fortes in fide dixerunt, nunquam se idolis, quia vana sunt, et opera manuum hominum, immolare: Quoniam novimus, dicunt, unum et verum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, pro cujus fide parati sum

^f In Ms. S. Max. sequitur hic exhortatio S. *Luciani* ad suos.

mus mori. Quibus auditis continuo coram beatissimi A Luciani obtutibus jusserunt eos gladio puniri. Quibus ita patris, promissas sibi a Domino immarcescibiles perceperunt coronas, et in numero sanctorum martyrum, cum pace sunt recepti. Pro quorum gloria B. Lucianus Dominum collaudans voce gratulabunda coram omnibus dixit: Exulto et jucundor in te, Deus meus, quia filios meos me præire ad coronam intueor.

CAPUT IV.

S. Lucianus varie tortus, occiditur.

16. Tunc Latinus, Iarius, et Antor cum ira et indignatione, quasi ex uno ore atrociter eum alloquuntur: Tunc es ille, inquiunt, qui maleficiis tuis seducis populum, ne obediant jussis invictissimi Augusti atque Senatui Romano, ut immolent diis immortalibus grata libamina? Quibus S. Lucianus respondit: Ego maleficus non sum; sed sum servus Jesu Christi, eruditus divinis doctrinis. Unde Dei populo viam veritatis ostendo, et Dominum meum Jesum Christum, qui facturam suam venit in mundo redimere, et a cultura dæmonum avertere, quomodo inoffenso pede sequi debeant, innotesco, ut ad lucem revocati supernam, a suis tenebris eruti, salventur, quia justum est ut illi soli cervicem cordis inclinent, qui pro omnium salute crucifixus voluit mori.

17. At hæc illi: Quomodo, inquiunt, tu Deum asseris quem non solum mortuum pronuntias, verum etiam crucifixum? S. Lucianus respondit: Licet vestra infidelitas clementissimi Regis non mereatur C audire arcana, tamen propter multitudinem adstantem paucis edisseram: Deus Dei Filius, qui semper fuit cum Patre ante sæcula, propter prævaricationem primi hominis, in fine temporum pro reparatione humani generis voluit fieri verus homo ex virgine, ut esset verus Deus et verus homo, essetque idem Deus et homo, unus Christus, verus Dei et hominis filius; ut qui erat impassibilis in divinitate semper manens cum Patre, fieret non solum visibilis, verum etiam et passibilis pro nobis secundum humanitatem. Hinc factus est obediens Deo Patri pro redemptione nostra usque ad mortem, mortem autem Crucis. Alias autem nisi Filius Dei, hominis etiam filius dignaretur fieri, nec humanum genus ad veniam, nec mortales redirent ad vitam. Hæc et alia multa D beatissimo prosequente Luciano, milites magis magisque furore sunt repleti; qui et dixerunt: Jam enim te senectutis invitaverat tempus, ut ab infantilibus resipisceres; sed quoniam vanitas nimia te decipit, et superflua invitat loquacitas, ad mortem ire temeritate nimia confisus non formidas. Verumtamen nisi cito resipueris et recesseris ab hac audacia, et sacrificaveris diis immortalibus grata libamina, senectutem tuam multis afficiemus tormentis.

18. Tunc residentibus illis, adstare eum coram jusserunt. Aiunt itaque ad eum voce minaci: Nomen siquidem nobis tuum conditionemque declara celeberris. Quibus athleta Christi respondit: Siquidem a

progenitoribus quidem meis vere Lucius sum vocatus; in regeneratione vero, qua renatus sum ad æternam vitam in Christo, Lucianus vocor. Conditionis vero cujus sim; Romanum me esse genere, quod in omni orbe notissimum est nomen, profiteor: sed quod nobilius est mihi, servum me esse Christi Jesu ostendo; quod lucide patet, quia mihi nihil aliud est vivere nisi Dominus meus Jesus Christus, et mori lucrum: ideo me ejus esse servum gaudeo et confiteor. Tunc milites, hoc est, inquiunt, quod locuti sumus; quia magus et seductor es eorum qui te audiunt: insuper contumax comprobaris, quando et procaciter quæque loqui non cessas, et tuæ nescis tandem aliquando fessæ succurrere senectuti. Quod si Romanus es, cur a cultura deorum insanissime recessisti, quos Augustus Cæsar veneratur cum omni Senatu Romano, et colit universus orbis? S. Lucianus respondit: Ex quo renatus sum in Christo, et verum cognovi Dominum meum Jesum Christum, non solum diabolo atque idolis, verum etiam omnibus operibus ejus fide abrenuntiavi. Sed quod ego loquor, et confiteor de Christo Domino, neque auribus percipitis, neque retinere mente valetis. Excæcavit enim vos infidelitas cordis, necnon et Cæsarem Augustum una cum Senatu, a quibus talia detulistis decreta, ut nos homines rationabiles sacrificemus dæmonibus, et inclinemus cervices nostras idolis manu hominum factis.

19. Latinus vero, Januarius, et Antor hæc audientes injuriam Cæsaris impatienter ferunt: tuncque apprehendentes eum vinctis manibus tradiderunt tortoribus: qui et extendentes eum diris atrociter ceciderunt flagellis. Cumque ab eis nimium flagellatus fuisset, et vinctus admodum teneretur, diu cruciatibus tortus athleta Dei, nec doloribus superatur nec minis deterretur; sed fortis in fide Christi pene jam decrepitæ senectutis membra puro vigore animi roborabat, ita ut semper inter verbera eodem vultu, eadem mente perdurans, Christi nomen viva voce non cessaret confiteri, dicens: Christum Dei Filium et corde credo, et ore laudare nunquam cessabo.

20. Tunc furore permoti, data sententia jusserunt eum gladio feriri. Sicque unus ex militibus evaginato gladio, parata jam sancta cervice, sanctum et pretiosum ejus caput abscidit. Cumque sancti viri cadaver jaceret, adhuc et palpitaret exanime; videntibus cunctis, etiam ipsis mortis ministris, lux de cælo ingens supra corpus sanctum effulsit, et vox magna pariter cum luce venit, dicens: Euge, bone famule Luciane, qui pro me sanguinem tuum fundere non dubitasti; veni, et suscipe coronam olim tibi promissam, quia cum sanctis gratulaberis in cælo. Veni, et percipe mansionem gloriæ olim tibi paratam cum angelis. Quæ nimirum vox non propter ipsum, qui semper hanc repromissionem in corde gestaverat per fidem, facta est, sed propter astantes, ut fidem Domini nostri Jesu Christi a S. Luciano longe diu prædicatam, certiores de meritis sancti viri fidissime retinerent. Hoc autem die Sab-

bathi hora ^a factum est in monte quem supra memoravimus, tertio ab urbe milliario, ^b vi Idus Januarii. Quod cernentes et audientes viri qui crediderant, vel qui non crediderant, omnes nimio terrore percussi, nutu divino aliqui fugerunt; aliqui vero stupefacti mirantes præ gaudio, quia videbant se liberatos a laqueis diaboli, tamen non ferentes claritatem lucis, paulisper recesserunt a loco.

CAPUT V.

Caput proprium defert, sepelitur.

21. Tunc erigens se sancti viri corpus exanime, apprehendit propriis manibus sanctum caput abscissum stabili gressu Spiritus sancti gratia, cujus fuerant membra corporis et organa, una cum ministerio angelico, ac si vivens in corpore, iter plantis firmissimis carpere cœpit: portansque pretiosum caput, ductu angelico, a monte quasi millibus tribus ^c transvadato fluminis alveo pervenit ad locum, quem vir sanctus sibi funeri tradendum elegerat, uno a prædicta urbe distantem ferme milliario: ubi in agello publico cum palma victoriæ sanctus requievit in pace.

22. ^d Unde viri devotissimi, qui ejus fuerant prædicatione conversi, occurrerunt cum aromatibus et sanctum linteaminibus mundis obvolventes corpus, sepelierunt cum magno honore et reverentia in monumento, ut videbatur, tunc novo. Verumtamen, ne absque angelorum officiis viderentur exsequiæ celebratæ, dum sanctissimum corpus reconditur, apertæ sunt nares eorum subito, senseruntque mira odore valde fragrantia omnes qui aderant, donec exsequiæ beatissimi viri celebrarentur, et corpus humo obtegeretur. Illi autem viri stupefacti admirantesque præ gaudio dicebant ad invicem: Quidnam est hoc? Gloria tibi, Domine Jesu Christe: quia nostræ nares odorem talem tantumque nunquam senserunt. Gloria tibi, Christe Salvator, quia sic sumus repleti, ut nihil nobis ulterius boni deesse credatur. Porro quanto amplius talia loquebantur, tanto amplius odor affluebat divinus, ita ut jam nullus dubitare posset, angelorum ad has exsequias a principio passionis ejus interfuisse ministeria.

23. Quibus rite expletis prostraverunt se omnes in terram cum nimio timore et magna cordis devotione clamantes et dicentes: Credimus te, Jesu Christe, verum Dei Filium cum Patre et Spiritu sancto regnantem in cœlis; sicut a sancto martyre tuo Luciano audivimus aure, et didicimus mente. Cum autem multitudo populi qui quasi ad spectaculum de diversis partibus ex villulis convenerant et vicis, ta-

^a Addit Lovetus, post meridiem.

^b Lovetus, 7.

^c Ms. S. Max. *Tharæ transposito vado*. Massonus ex vita ms. *Tharæ transacto, unde*. Lovetus ait in vico *Miauroy* Tharam transisse; cerni etiamnum in monte Millio semitam per quam ille caput gestans incessit, et *Roseam* appellari, sive *Rosetum, la Rosière*, inque ea rosas nasci mirifici ruboris, quales eadem alio transplantata roseta non ferunt: etsi vero asper et præceps ad latus unum sit mons Millius, nunquam

lia vidissent, vel audissent a credentibus, eodem die, ut æstimatum est, corde compuncti crediderunt in Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi ferme quingenti homines ex diverso sexu. Jam enim conversi fuerant per prædicationem beatissimi Luciani in Galliis non minus quam triginta millia hominum, aut multo amplius diversi generis et ætatis; qui relictis idolis confitebantur Deum Patrem ingenitum, et Filium ejus unigenitum, una cum sancto Spiritu, in trinitate verum et unum Deum. Qua fide per lavacrum regenerationis renati, et innovati, fabricaverunt Domino mox nonnulli eorum devotissime in eodem loco super sanctum corpus, ad honorem ipsius martyris, basilicam.

24. Sanctorum autem Maximiani et Juliani corpora in monte, ubi decollati fuerant, sunt sepulta. Sed crescente numero et devotione Christianorum, a fidelibus inde levata beatissimi Luciani corpori sunt conjuncta. Ubi postea in melius ædificata et ornata ecclesia, Domino Patre cooperante, plurima recte petentibus præstantur a Domino Jesu Christo per merita et intercessionem sanctorum martyrum beneficia. Quorum, quia una fuit fides, unaque charitas, una et in martyrio confessio, idcirco jure credimus eorum quod una sit in æterna beatitudine societas, unumque consortium meritorum. Et ideo gratias agamus Creatori nostro, quoniam testes Christi trino numero assumpti fidele consummaverunt propter fidem Trinitatis in terra martyrium: quod quia factum novimus, veneramur fideliterque recolimus et agnoscimus.

25. Ecce fratres, etsi purpurata est universa terra sanguine martyrum, purpurata est civitas nostra horum cruore, Christi respersa sanguine. Etsi floret cœlum coronis martyrum, floret et nostra tellus istorum decorata virtutibus. Ornata sunt reliquæ ecclesiæ memoriis martyrum, ornata est ista horum triumphis, et consecrata reliquiis. Insignita sunt tempora natalitiis martyrum, insignita est et hodierna festivitas, qua celebratur eorum natalis de ascensione ipsorum ad cœlos. Crebrescunt et hic ad eorum tumulum insignia virtutum et exuberant beneficia sanitarum: ægroti veniunt et sanantur, cæci illuminantur, claudi curantur, vexati a dæmonibus liberantur: et quod majus est, fidelium exaudiuntur preces, suscipiuntur vota, peccatorum vincula resolvuntur, aperitur cœlum pulsantibus: præmia assequuntur Ecclesiæ. Felix mimium et Deo grata beatorum martyrum societas, quorum ex consortio angelorum chori gratulantur in cœlis, meritis vero eorum et precibus omnium fidelium digna petitio tamen ex currum carrucarumve lapsu cuiquam equorum, vini, reive alterius jacturam contigisse: idque etiam hureticos, qui cultum aversantur sanctorum, openque negant eos ferre mortalibus, sæpenumero se coram esse confessos, carrucas isthic suas eversas, perque delcive devolutas esse, se tamen cum in ima descendissent, et vinum omne salvum, et equos incolumes reperisse.

^d Agones MM. *Viri autem loci illius.*

præstatur in terris, præstante Domino nostro Jesu A vivit et regnat per immortalia sæcula sæculorum,
Christo, qui cum coæterno Patre ac Spiritu sancto Amen.

CANONES ORDONIS

In synodo Pontigonensi editi

(Apud Babuzium, Capituarium tom. II, pag. 245.)

Sancta synodus quæ in nomine Domini, vocatione domni Joannis ter beatissimi ac universalis papæ, et jussione domni Caroli perpetuo Augusti, congregata est in loco qui vocatur Pontigonis, anno Incarnationis Dominicæ 876, indictione IX, regni præfati invictissimi imperatoris XXXVII, imperii autem I, B xvii Kalendas Augusti, hæc capitula quæ subter annexa sunt instituit.

CAP. I.

Obeunte Ludovico, qui Romani imperii jura regabat, domnus Joannes ter beatissimus papa per Gadericum Veliternensem, Formosum Portuensem, Joannem Aretinum, venerabiles episcopos, domnum Carolum tunc regem ad limina beatorum apostolorum invitavit, eumque Ecclesiæ ipsius defensorem ac tutorem elegit, imperialique diademate coronavit, eum præ cunctis solum et specialem eligens qui Romani imperii sceptrum teneret. Cujus sacris institutionibus pro debito parentes, quod ipse instituit instituímus, et quod ipse confirmavit pari consensu omnes firmamus.

CAP. II.

Congregata igitur in Romana urbe sancta synodo, ante adventum prædicti domni imperatoris, misit cum consensu omnium epistolas Ludovico regi, filiis quoque ipsius, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ac reliquis primoribus regni sui, monentes eos apostolica auctoritate more paterno servare quæ pacis sunt, ne videlicet aliquam irreptionem in regno præfati Augusti facile tentarent usque dum simul ad mutuum colloquium venirent, et ipse inter eos et de pace conservanda et de jure regnorum secundum sibi a Deo ministerium creditum decerneret pariter et discerneret. Quas epistolas per Odonem Bellovacorum venerabilem episcopum sibi destinatas D et bis delatas omnino recipere renuerunt.

CAP. III.

Ipse vero apostolica et paterna monita parvipendens, et fraternalia fœdera dirumpens, hostili manu tyrannico more fraternalia regnum depopulando invasit; homicidia, stupra, adulteria, sacrilegia, et innumera mala quæ enumerari nequeunt, auctoritas facientium perpetravit.

CAP. IV.

Hæc mala audiens ter beatissimus papa perpetrata esse in regno spiritalis filii sui domni Caroli semper

Augusti, tactus dolore cordis, acceleravit mittere missos suos, Joannem videlicet et Joannem, venerabiles episcopos, cum aliis suis epistolis, volens eum monere ut a tanto malo pœnitentiam de præteritis ageret, et tandem fraternalia regnum invadere desideret. Quorum legationem secundo commonitus necdum recipere voluit.

CAP. V.

Post hos denique misit iterum alios legatos, Leonem scilicet sanctissimum Gabinensem episcopum et sanctæ Romanæ Ecclesiæ missum et apocrisiarium, pariterque et Petrum Forosemproniatem venerabilem episcopum, hæc eadem obsecrando, monendo protestans. Quorum monita utrum recipere velit, adhuc ambiguum constat.

CAP. VI.

Verum, quia præfatus Leo Gabinensis reverentissimus episcopus et sanctæ Romanæ Ecclesiæ missus et apocrisarius, seu et Petrus Forosemproniatensis episcopus, pro quibusdam utilitatibus ecclesiasticis morari hic diutius nequeunt, neque episcopos de longinquo venientes fatigare longius dignum est, decreverunt Joannem Tuscanensem et Joannem Aretinum venerandos episcopos, qui legationem præfatorum pariter cum priori legatione suscipientes, ea quæ peragenda sunt, cum cæteris episcopis, quos communi consensu elegerint, vice omnium episcoporum, quidquid seu in evocando seu in contemptoribus feriendo definierint, apostolica auctoritate libere definiant, et quidquid ipsi deliberaverint, et domnus apostolicus cum omni sancta Romana Ecclesia determinabit et in perpetuum mansurum statuet et firmabit.

CAP. VII.

Sicut dominus papa Joannes sanxit, connivente et consentiente et condecernente domno et gloriosissimo Carolo imperatore semper Augusto, Ansigisum venerabilem episcopum, Senonum archiepiscopum, suam vicem tenere, et primatum ei Galliæ et Germaniæ contulit in evocanda synodo et definiendo canonice si quælibet insurrexerint necessaria, et ut graviora ad ipsius notitiam referat, et nos unanimiter omni devotione laudamus, et ut ita ipse primatum teneat Galliæ et Germaniæ decernimus et sancimus.

CAP. VIII.

Synodum quam domnus Joannes apostolicus et universalis papa super quorundam depositionem,